Cracov. Studior. Univ. Jagell.
Promotione Philos. Ord.
1720 die 23 Martii.

Babilonowicz Pauli Laurentii: Metamorphosis ad gloriam VV. DD. DD. primam in AA. LL. et Philosophia lauream in alma Univ. Crac. capessentium.

METAMORPHOSIS AD GLORIAM,

VI. V.V. D D. Primam in Artibus Liberalibus & Philosophia Lauream, in Alma Universitate Crac:

CAPESSENTIVM.

quam
dum per manus
Clarissimi Excellentissimi & Admodùm Reverendi Domini,

M. MATTHÆI IOSEPHI KOLENDOWICZ,

Philosophiæ DOCTORIS, Collegæ Majoris Vocati, & Ordinarij, in Collegio Minori, Pòëseos PROFESSORIS,

RITV SOLEMNI.

In Almo Divi Iagellonis Lyceo,
ad inclytam Magnorum Hospitum Coronam,

RECIPERENT,

Plaudente Fratrum Honori,

PAVLO LAVRENTIO BABILONOWICZ,

In Ecclesia Parochiali Wielicensi, Præbendario, ibidemq; Mansionario,
Ejusdem Laureæ Primæ Candidato,

OPERE POETICO,

EVVLGATA.

Annô, quô admiranda Metamorphosi DEVS Homo Factus est 1720. Die 23. Marij.

CRACOVIÆ, Typis ACADEMICIS.

In Gentilitium Stemma,
PERILLVSTRIS
&
ADMODVM REVERENDI
DOMINI



Cynthia cum stellâ clari sunt lumina cœli,
Quæ de Prælati stemmate pulchra nitent,
Si conferre duo duxit Tibi sidera cælum
Pro meritis posthac omnia, crede, dabit.

PERILLUSTRI
&
ADMODUM REVERENDO
DOMINO,
D. JOANNI
BARANOWICZ,

Sacræ Th: & Juris Utriusq; DOCTORI, Ecclesiarum, Collegiatæ Sandomiriensis CANONICO, Vielicensis & Zarnovecensis PRÆPOSITO,

DOMINO

Mecænati Amplissimo.

DEfuisset credo *laureatæ gloriæ apex, si demissa Clientis veneratio ad beneficas non prolapsa plantas à Te incrementum non peteret* Perillustris & Adm: Reverende Domine Mecænas Amplissime. *Tu quippe solus es, qui in Regum Regnorumq; commoda destinato locò Sacris eminens titulus. Olympo usq; conterminato laurearum nostrarum gloriam, cujus Patronum agis, eandem efficis. Plane alto quovis præponis fastigio desideria ad culmen eruditum collimantia, cum faves. Ita metire Nominis*

Tui magnitudinem ex favore, cujus tanta apud omnes æstimatio: ut erigi se illa non audeant, quibus non annuas, vel pro illis magnus apud Magnates non stes Intercessor. Adeo crede, cordi summorum virtus Tua *arrisit: ut magnorum Capitum profunda sis cogitatio. Imo primus* Tu *altarum mentium Conceptus; nec fallor perfectissima es summorum Animorum Operatio. Hæc quæ venerabundus innuo, non nisi Caput probare potest, Capitis itaq; de* Te *prodeat testimonium. Et credes certè pijs manibus* Celsissimi Illustrissimi & Reverendissimi olim CASIMIRI LUBIENII Episcopi Cracoviensis, Severiæ Ducis, *qui quidquid alto ingenio cogitavit,* Te *nonnisi in summo attigit. Hîc quantam imposuisti Magnis Animis atq; eruditis necessitudinem; ut per alta solummodo niti debeant Tuam comprehensuri Nominis, Virtutis, Meritorum magnitudinem. Sublimis præfatus Princeps honore, altus judicio, probitate cælo par, dum dotes Tuas moderatus ingens reputavit negotium* Te *favorum suorum documentis ex æquo mensurare. Cogitavit* Te *ad fastigia honorum deducere. Sed infra* Te *omnis honor, cum jam pridem à tot tantisq; titulis desidereris, expectaris. Censuit* Te *dignum qui placido ac familiari Principis ore, qui adstricto Ducis corde fuereris, &* Tu *altius his assurexisti, cum ad hujus Præsulis desideratissimi mentem & omnia egeris, & præter ingentia opera* Tu *ipse fueris. Si erudito huic Capiti unquam aliqua venit reflexio quâ suæ provisurus fuerat Diœcesi in* Te *eandem crebrò deflexit. Tu ad multa pertractanda maximè Commissionum negotia vocatus supposuisti humeros, ut tantum immota steтisset Sacrorum in Diœcesi incolumitas. Hæ aliaq; curarum moles supra humeros ingestæ Tuos non fatiscentem* Te *monstrant Atlantem ac ferendis negotijs quæ honorem consequuntur indefessum. Sed sepulchrales magni Præsulis linquo umbras, & in luce habes à quo æstimeris. Nondum enim æstimator Tui Animus deest, quià non ad unum virtutis se* Tuæ *extendit pretium. Plusquam aurea Tui in instituendis* Illustrissimis Wodziccijs *sollicitudo probat* Te *cunctis æstimatissimum & in egregia Domûs hujus indole planè* Te *reddit admirandum.* Tu *fecisti capaces ad Infulas & ut Martis versarent clavas adhuc à tenerioribus annis præmonstrasti. Singulos sub* Te *Chirone Achilles*

les non innuo plurium agat vices Fratrum Perillustris & Reverendissimus Dominus MICHAEL de Granow WODZICKI, Canonicus Cracoviensis Scholasticus Lancicensis. *Infularum desiderium, fastigiorum votum, prima Honorum apprahensio, quem etiam num extra regulam affectus nihil agere erga* Te *discis. Conspiravit in* Te *Fratrum plurium candor, ità ut palmam sæpe in* Te *sibi obligando obtineant & tot nativis decoribus insignes, adhuc Tui cultu, quem experiris velint eminere. Stetisti itaq; in summo gloriæ, factis Tuis, ut facile* Te *Romani colles prospicerent,* Te *vorarent* Te *susciperent. Venisti inquam in Orbis Vrbem primariam & Sarmatico genio Latium movisti in eruditionis Tuæ stuporem. Sic non deesse cælo nostro docta ingenia, vel ipso sole calidas mentes docuisti dum radios ibi Sapientiæ Tuæ poli nostri nam Poloniæ sidus vibrasti. Legisset illa exterorum curiositas frontem Tuam etiam summo Capiti* Clementi XI. Pontifici Maximo *placuisse dum ad preces Tuas pro Poloniæ thesauro Vielicia Ecclesiæ Thesaurum indulgentias inquam aperuit. Proinde acsi Tyberinis fluctibus Romanæ gratiæ prodromo* IOANNE *Vieliciam se exonerarunt, quæ dum se Vandalicis junxissent ripis Vistuleos præmonuerunt anfractus brevi majores opes Vieliciam suis Regibus daturam. Addidisti siquidem Vieliciensibus salis fodinis id, quod aureas modo foveant animas, quia donis Christi, munere Matris Ecclesiæ satis abundè refertas. Vbi dubium est plusnè nunc illa salis pondera onerent homines, quàm gratiæ per* Te *impetratæ non jam fatigent, sed decorent. Hoc tantoq; pretio dum omnes curæ Tuæ Pastorali subjectos dignaris, etiam Divus Academiæ nostræ Indiges* B. IOANNES CANTIVS *fatetur quantum in Ecclesia* Tua *Vielicensi cultum per* Te *habeat. Die illi sacro quadraginta horarum devotio* Tuæ *erga illum promptitudinis argumentum Academica Tibi concincit pectora.* Gratiosus *per* Te *cum Indulgentijs* Ioannis *dies cum immortalitatis sibi ostium se* Tibi *præbet in januam, qua usq; ad gloriam patentem conspicis decursum. Quid si illum Ecclesiarum præsertim Vielicensis nitorem recenseam! plane* Te *cælo dato Præside gaudent, quas cælo non absimiles reddis exornando. Ab Ausonijs licet longè sint situatæ arvis, Roma-*

manam tamen Te *authore jactitant magnificentiam tot ex liberalitate* Tua *inde lata cum retineant apparamenta. Ea in Cælum, hæc in commissas oves merita cum mihi jam pridem contemplanda venissent etiam ad Academicas laureas anhelantem præmonent ut non alibi cum opella mea me sistam, quàm in postibus* Perillustris & Admodū Reverendæ Dominationis. *Hoc pacto laureata gloria apex veniet cum faveris, culmen tangetur cum votis annues Imo Metamorphosim ad gloriam prendentibus laurum aperies cum aditum ad* Te *non negabis. Polliceor mihi favoris* Tui *copiam, qui non tam nomine quam opere* IOANNIS gratiam *præfers, & qui bona desideria optimo sveviisti coronare eventu. Id certò sperat observandis* Tuis *nutibus dicatus.*

Perillustris & Admodum Reverendæ Dominationis Vestræ.

Servus humillimus.

Author Operis.

D. JOANNI CANTIO,

Sacræ Theologiæ Doctori Regni Poloniæ
& Almæ Academiæ Cracoviensis
PATRONO,

Laurearum Singulari Ornamento,

ODE VOTIVA

CUM EPIGRAPHE.

Ingeret hæc Nobis, pulcherrima forma decorem.

CÆpit ut gyro remeare mundus,
Clarus ut Tytan cohibet Phlegonta,
In malum semper labat omne, quidquid
Alluit æther.
Non valent certum retinere cursum.
Luna quæ cingit; renuuntque firmo
Stare res cunctæ pede, dum Trionis
Has movet axis.
In novos vultus variamur omnes
Mille, sub quovis spatio figuris
Militat vitæ potioris Aura.
Cardine recto
Exsilit cunctum, nisi te favente
In situ sistat meliore, CANTI,
Clade communi mea vota Clio
Fracta dolebit.

Illa nam frontem redimire nostram
Laureis primis cupit, & Coronas
E tuis optat manibus beatis
Promere Nobis.
Non enim faustum fore munus, inquit:
Si neges laurus dare de quasillo,
Quem tibi sanctis sociata factis
Ars tulit omnis.
Quippe cùm donum venit ex polorum
Sedibus, per Te tribuens decorem,
Pulchra consurgit facies in omni
Ordine rerum.
Craciæ vulgent documenta Musæ,
Quàm probè fulcit tua vis easdem
Quamvè per quartum benè floret ævum
Sors Academi.
Forma tu quædam, nitor es Scholarum
Ingerens cultum Studijs politum,
Te nitet quidquid radiare cernit
Noster Apollo.
Credo, quòd Nostris precibus Corymbi
Decident præstò venientq; lauri
Frontibus, quæ Te Veneratione
Spontè seqvuntur.
Annuas Voto Pater obligato,
Fac clientalem placuisse Cælo
Hostiam mentis, recolemus ista
Munera semper.
Vitta si Nostris benè nexa collis
Surget, en votum fluet istud ore,
CANTIUM Sanctæ sociare Turbæ,
Roma laboret.

PER-

Perillustribus, Clarissimis & Admodùm Reverendis Dominis,

DD. EXAMINATORIBUS.

Perillustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. FRANCISCO HIERONYMO PLVCINSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio & Tylicianæ Eloquentiæ Professori, Ecclesiarum Cathedra, lium, Cracoviensis, Festorum Salvatoris & Beatissimæ M. V. Concionatori; Kijoviensis Canonico, Collegiatæ Crac: S. ANNÆ, Archidiacono, Parochialis in Lętkowice Curato, ac intereà Facultatis Philosophicæ DECANO.

Perillustri Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D. M. JACOBO ALBERTO SARNECKI,

Philosophiæ Doctori, Ejusdemq; Tratnoviano Professori, & Philosophicæ Facultatis primo Regenti, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Crac: Scholastico, S. R. M. Secretario.

Clarissimo Excellentissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. MATTHÆO JOSEPHO KOLENDOWICZ,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori Vocato, & Ordinario in Collegio Minori Pòëseos Professori, gratitudinis tributum offertur, cum

EPIGRAPHE.

Alma Ducum virtus quæ non præclara tulisti?

TErnio Magne Virûm, docto qui lumine splendens,
Invidiam usq; Polo reddis, contermine Phæbo:

Qui calamus Tua facta notet! quæ pectora Vatum,
Digna tuis meritis referant præconia! nescit
Mens devota Tibi: si magnum pulset Homerum;
In nuce complectens Græcos, longo ordine vestras
Narrare ignorat laudes, nec & ipsa Maronis,
Musa leves modulata sonos testudine lætâ,
Audebit tantos Animos resonare per orbem,
Etsi per Gethicos nôrit discurrere Campos,
Nec tamen Ausonijs quidquam dabit exul ab oris,
Quo vestrum celebretur opus, quo gloria surgat.
Est major dictis, ac tentat Musa referre,
Hic labor, Athletas vultis quo cingere lauris.
Non vos cura gravis, summâ non mole fatigat,
Hoc alijs durum pondus; pro munere vestro,
Herculeo quodvis superatis more cacumen.
Communem nacti sortem præfigere metam
Mentibus, ad magnos illis præcurritis ausus.
Nam tu Purpureo per Regnum splendidus Ostro
Palladis, insignis merito, gravis atq; Cothurno,
PLVCINSKI, indigitas, quà sit subeunda Corinthus,
Virtutis, stimulosq; cies per ut ardua quæq;
Curramus tandem venturi ad culmina laudum,
Te Duce laxamus nodos, superavimus hostem,
Laurea tum capiti propendet candida nostro,
Omne decus per Te nam, cur non omnia pulchra
Esse queant! cur non possint & splendida dici?
Imperio quæ firma tuo, sub Præside tanto
Ex puro ligno fieret Cyllenius alter.
Nam facilis verbis, quoties Oracula pandis,
Efficis, ut surgat felix in mente profectus.
Dicere vix tentas, & jam Sapientia pectus
Occupat, in Tua, quam vexit præcordia Tytan.
Tu dulces Lechiæ Consos formare paratus,
Pro Patria facies hos libertate tonare:
Hinc quamvis docto videaris summus honore,
Attamen ex voto nostrûm sit Purpura quævis,
Ex humeris prolapsa tuis, fasce altior omni
Emineas, cunctæ cùm sis honor ipse curulis.

Hac

Hac sidus magnum, sed vix hoc Principe digna
Laude sequor, tandemq; alijs meditata repono
Præmia parva quidem, sed quæ sunt corde Clientum,
In pretium subvecta suum. Tu munere nostro
Prime Regens, meritisq; potens in sorte Sophorum,
Sis devincte precor, ferimus nam pectus apertum,
O quantas Superi deberem texere laudes
Quas meruit semper, nisi sit prior ipse IACOBVS
Laude probâ, satis est dixisse quod omni
SARNECKI Virtute nitens celebrabitur ævo,
Nam pia fama volans per temporis omnia circum
Intervalla, canet nomen, tum mille revolvet
Facta Viri: hic etenim processus & ordo sequetur.
Vt quos vel plenas studio conscendere Classes
Mandavit, docto vel Cursu sustulit altè,
Hi pòst albentes venerando crine senectæ,
Non hanc concedent famam ignorare nepotes,
Imò hoc continget, quod maxima Gloria sæcli
Dicentur, tanto qui sub Chirone studebant.
Nec nostris adversa bonis sunt fata, favente
Hoc primo, primis redimimur tempora lauris.
E manibus qui dona Tuis desumimus alma
Tertius es, KOLENDOWICZ electa Camoenæ
Sensu agitans potiora sequens, cedroq; notanda,
Transcribens folijs omni delecta Minervæ.
Tu vix fatidico tetigisti pectine sistrum,
Protinus in campum, magni decurrit honoris,
Pes, qui Sacrorum nobis nunc ingerit usum.
Præsuleæ plaudens Vittæ, dignissime sertis
Laudum, jam nostris etiam celebrande susurris.
Te dignus surgat versus, nam carmine semper.
Digna geris, dignum scribis, sublimibus effer
Ingenium titulis, faveant sic Numina Musis;
Vt voto illarum sistas in culmine summo.
Talia jam Ducibus dederat documenta Clientum
Pectus, quos grato placidè dum corde reponit,
Constituit nunquam memori dimittere mente.

METAMORPHOSIS
Ad GLORIAM,
VV. DD. VI. Primam in Artibus Liberalibus & Philoſophia Lauream Capeſſentium.
II. V. D. JOANNI CANTIO SAŁACKI,
Aurum, in quod Iuppiter transformatus, ut in dignum munus Danae veniret, offertur.

IN nova fert animus meditatas dicere laudes,
Quas meritò doctis ſcribere tento Viris:
Gloria ſit dignis, concedat laurea ſoli
Virtuti, laurus, nam decet alma probos.
Sed peto, quem primò noſter collaudet Apollo
Cûi Muſæ debent ære ciere ſonos.
Eſt en SAŁACKI, Soboles adamata Minervæ,
Hunc teneor primo concelebrare ſtylo.
Si pretium ſtudio fas eſt concedere juſtum;
CANTIVS ex auro, dona referre ſciat.
Eſt Aurum quod mente tenet, quod fronte recondit,
Hâc Iove ſe dignum, conditione facit.
SAŁACKI Danaen vincit, nunc indole pulchra,
Nec mirum in magni, quòd ſit amore Iovis.
Nam ſi ſcrutaris dotes, eſt cultior omni,
Quòd gratos animos conciliare poteſt.
Hunc complexa ſemel, nunquam dimittet amico
Nexu Pallas, dum, jam Iove digna gerit.
Ergo laurigeris, penes aurea dona, coronis
Eniteat fauſtè, candida vota fero.

III. V. D. PAULO GOŁKOWSKI,
Calculi albi, beneficiò Herculis, ex nigris mutati, donantur.

VIrtus, quæ medio ſemper in invio,
Securo pede ſtans, deprimit ardua,

Mox

Mox evecta polo, candida suscipit
Constantis studij præmia, frontibus
Aßignata probis, Paule tuo bono,
Quem pridem vario conspicio modo,
Curantem nitidis ædibus invehi.
Curres quò cupies auxilio quadræ
Virtutis; Soboles Numinis, Hercules
Id spondet, tribuens hæc tibi munera,
Quæ pallere diu nescia, floridis
Te lauris viridem, Teq; celebribus
Designant placidum mox fore fascibus.
Iam confracta tenes vincula, gloriam
Arctis carceribus sveta reponere.
Sublimi properes ergo situ coli,
Famæ participem te reputa probæ.
Nam qui se rutilo lumine fulciunt,
Digni sunt valido culmine sistere.

IV. V. D. CASIMIRO JARMUNDOWICZ,
Laurus, in quam Apolline digna Daphne versa, conceditur.

MOs est jam pridem mundo vulgatus adulto,
Heroum pulchrâ cingere fronde caput.
Nam qui bellorum dextrè certamina claudunt,
Sunt meriti curæ, dona referre suæ.
Sic animi crescunt, sic summo ardore feruntur
Vincendi, manibus præmia si pateant.
Virtutis sat signa tuæ, deprendimus, Heros,
IARMVNDOWICZ, quâ maxima cuncta geris.
Iam doctas superas mentes & corda triumphas,
A nobis etiam laurea serta refer.
Et quia juncta manet Tibi cùm, Sapientia, Musis
Illicò cha[illegible] DEO, munera Virgo parat,

 Qui-

Quinimo ipsa putat meliùs variare figuram,
Vt sibi devinctum, digna corona notet.
Si Dea sub lauri signo decorare disertum
Censuit, est verum, quòd favor ipse Deæ est.
Si placeas Daphne, mox sis & Apolline dignus,
Carmine tum nostro dignus utiq; cani.
Tendimus ergo lyram, votô resonamus aperto,
Par magnis, magnos scande teneq; gradus.

V. V. D. CAROLO KONRATOWSKI,

Coralia ex Persei virgis facta, attribuuntur.

Bella gerant alij, nullos habitura triumphos,
Tum sævos feriant hostes, & gaudia nulla
Ex spolijs referant captis: qui Martis amore
Ducuntur, passim merito frustrantur honore.
Tu meliùs doctos cæpisti currere calles,
KONRATOWSKI, hoc dum tangis de tramite laurum.
Vicisti vincenda bono mox ordine pugnæ,
Et capis augustas dextris Carole coronas.
Munere tam pulchro, lætum decorare coralis
Te volo: Virtutem semper proba præmia quærunt.
Perseus ut monstrum vicit, tum mille triumphis
Orbe, polo, notus virgasq; coralia fecit,
Et voluit dextros tali redimire decore,
Cùm te pæne parem, magno nec pondere fractum
Invenio, dignum simili Te munere dico.
Tu verbis suadam, promptâ cum mente Sophorum
Dogmata docta tenes, quæ vix profundis apertè,
En plausus magnos recipis palmasq; prehendis.
Sic Musæ cultu dignus, sic Palladis ore
In melius, quò fata vocant, procedito sospes.

VI.

VI. V. D. MATHIÆ WŁOCHOWSKI,

Cornucopiæ ex cornu Amaltheæ, Supremi Deorum nutricis, factæ & multis refertæ donis, in munus feruntur.

QVos ardor ingens in Sapientiæ
Fert Regna, tales tollit honoribus,
Devincta doctis fama, currens
Et penetrans loca multa mundi.
Alti Tonantis conscia munerum,
Semper madenti porrigit alveo
Dotes; quibus nec Ganges auro
Diffugitans, potuit nitere.
Hæc sors Mathiæ prima, quòd arduo
Famam laboris, protrahit in suam
Partem, simul lauros virentes
Obtinet in meriti coronam.
En ipse Magnus luminis Arbiter,
Dat copiosum de manibus bonum,
Quo dum nitet WŁOCHOVII mens,
Se decorum petit esse, sortem.
Nutricis Almæ cornua sunt polo
Illata, tandem divite gratia
Repleta, nulli pro labore
Eximio magis apta ferri,
Prætèr, MATHIÆ, gloria candido
Quem donet astro, scandat in omnia,
Quæ magna censentur per orbem,
Hicce diu revirens honore.

I. V. ❧ *ADMODUM REVERENDO DOMINO*

PAULO LAURENTIO BABILONOWICZ,

in Ecclesia Parochiali Wielicensi, Præbendario, ibidem Mansionario,

Authori Operis,

In vim mutui affectus,

A. V. D. IOANNE CANTIO SAŁACKI,

Tripos, species lauri propter triplicem vim Divinationis Apollini sacra confertur.

PAule Musarum decus atq; donum,
Mente sublimem venerate collem,
Quem super montes animum tulisse
Censet Apollo.
Æqua de nostris habeas quasillis
Serta, quæ doctum caput apta pulchrè
Floridis donis redimire: posco,
Tolle coronam.
Quam jubent Cæli Tibi Mysta vincli
Ferre: Tu primâ renitere lauru
Dignus ad magni positus Sacerdos
Numinis aras.
Ista mens normam Tripodis tenere
Visa; tunc frondem proba dicta dantem,
Laureis nexam capias in animi
Muneris usum.
Scripta sat nostros onerant lacertos
Vt Tibi grates ferat omnis ille
Quem sono suavi placida Poësis
Stringere tentat.

Præ-

Præter hæc magni documenta facti,
Multa sortimur celebranda de Te,
Iam polo gratus, properante sursum
Mente sub astra.
Corde jam prensus solido Virorum
Orbe qui nostro, Sapientiaq;
Enitent, magnis meritis potentes
Atq; corusci.
Ergo, si tantas geminare laudes
Annuis, certè rea vota nostrûm,
Velle, sunt, altos Tibi polliceri
Semper honores.



Permissu Magnifici Domini RECTORIS.